

CH. tibi ita hoc videtur ; at ego non posse arbitror
neque illum hanc perpetuo habere neque me perpeti.

565 *SI.* qui scis ergo istuc, nisi periculum feceris ?

CH. at istuc periculum in filia fieri gravest.

SI. nempe incommoditas denique huc omnis redit 35
si eveniat, quod di prohibeant, discessio.

at si corrigitur, quot commoditates vide :

570 principio amico filium restitueris,
tibi generum firmum et filiae invenies virum.

CH. quid istic ? si ita istuc animum inducti esse utile, 40
nolo tibi ullum commodum in me claudier.

SI. merito te semper maximi feci, Chreme.

575 *CH.* sed quid ais ? *SI.* quid ? *CH.* qui scis eos nunc
discordare inter se ?

SI. ipsu' mihi Davo', qui intumust eorum consiliis, dixit ;
et is mihi persuadet nuptias quantum queam ut maturem. 45

num censes faceret, filium nisi sciret eadem haec velle ?
tute adeo iam eius audies verba. [heus] evocate huc
Davom.

580 atque eccum video ipsum foras exire.

DAVOS SIMO CHREMES iv

DA. Ad te ibam. *SI.* quidnamst ?

DA. quor uxor non accersitur ? iam advesperascit. *SI.* au-
din [tu illum] ?

ego dudum non nil veritu' sum, Dave, abs te ne faceres
idem

quod volgu' servorum solet, dolis ut me deluderet